

B. M. II, 319

500,1 (X1880953)

h. 62, 1.



MINOS MARIS DOMINUS:

Quem
Supremo
TERRARUM MARIUMQUE DOMINO
benigne annuente,

in inclyta Argentoratensi Universitate

Eruditorum examini

in SOLLENNI congressu

subjicit

CAROLVS SIGIS- MUNDUS DOMINUS à KRONEGK,

Liber Baro in Mosburg & Glanegg.

Præside

VIRO AMPLISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO
Dn. IOH. HENRICO BOECLERO

Historiarum Professore celeberrimo & Collegii Phi-
losophici h. t. Decano spectabili.



d. 27. Mensis Martii.



ARGENTORATI,

Typis BERNEGGERIANIS.

16

clb lbc LVI.



SERENISSIMO AC POTEN-
TISSIMO MONARCHAE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO GUSTAVO
SUECORUM GOTHORUM ET VAN-
DALORUM REGI, MAGNO DUCI FINLANDIÆ,
DUCI ESTHIÆ, CARELIÆ, BREMÆ, VERDÆ, STETINÆ
POMERANIAE, CASSVBIÆ ET VANDALIAE, PRINCIPI RV-
GLIÆ, DOMINO INGRÆ ET VVISMARIÆ, NEC NON PALA-
TINO RHENI, IVLLIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM
DVCI, &c. &c. &c.

*Regi ac Domino meo
Clementissimo*

Vitam, Victorias, Salutem!

Q Uem inter fausta orbis verè Christiani
omina populorumq; Tuis victoriis gra-
tulantium applausus cultum Maiestati Tuæ
debeo, eum dedicatione Exercitii huius Aca-
demici testatum facere nō erubesco. Quam-
vis enim à sublimitate Regalis fastigii tantum
absit eiusmodi munusculum, quantum e-
tiam studiorum civilium tyro à peritissimo
terra

terra mariq; imperandi Monarcha : tamen
confusus sum, Maieſtatem Tuam propitiis, ut
ſervorum ſuorum opera ſolet, oculis conſpe-
cturam ſpecimen hoc literarium, à præparan-
do Tuis ſervitiis iuvene profectum. Nam nec
ipſe à literis, vt multi Principum, ſtudio a-
nimove alienus es, quin hoc potiffimum
præſidio atq; inſtrumento ad res maximas
bello & pace gerendas vteris: nec argumen-
tum hoc de IMPERIO MARIS, TOT MA-
RIUM DOMINO perperam dedicari vi-
ſum fuit. Sed memini me cum Rege loqui.
Finiam itaq;, cum T. Maieſtatem ſupremo
Numini, mea vero domusque meæ obſequia
Regiæ T. Maieſtati humilima mente com-
mendauero. Viue Regum maxime, Trium-
phator Auguſte, & in ſervorum Tuorum nu-
merum coopta

Regiæ Maieſtati Tuae

Argentorati menſe Martio

deuotiſſimum ſubiectiſſimumq;

CAROLUM SIGISMUNDUM
A KRONEGK. L. B.

MINOS MARIS DOMINUS.

MInoëm Cretensium Regem
multa sunt, quæ ad posteros cele-
brauerunt. Hinc est quod mo-
do Legislatoris, modo Iudicis, i-
temque Regis exemplar, propo-
ni solet. Est & alia commendatio eius, ad
Imperium Maris pertinens: quæ nobis nunc
materiam Academicæ scriptionis præbitura,
multo cum honore titulis tanti Herois infe-
ritur. Quod si ergo veniam nobis dare ve-
lint, quorum iudiciis nostra omnia cupimus
approbare; de nobili sæpeque in controuer-
siam vocato argumento, pauca quædam pau-
lo altius repetere aggrediemur. Deus iuue-
nili faueat conatui; proficiendique occasio-
nes ex ipsa scriptione propitius demonstret!

Ipsa autem Minois tum historia tum fabu-
la, calamum dicturi aliquid *de Imperio Maris*

A

parti-

partitim in rem præsentem deducet, si citra ambages quædam capita scriptionis, vt sese offerunt, proponantur.

I. enim

MINOS primus imperio maris potitus est.

lib. 3.

lib. 1.

Genes. 10.

in Chron.

in Doctr. Temp.

Disertis verbis id affirmant veteres: in primis *Apollo dorus*, qui & Imperium illud omnibus fere vicinis Insulis describit. *Thucydides* autem ita explanat: *Minos antiquissimus eorum, quos fama accepimus, classem habuit, & maiorem eius, quod nunc Græcum vocant, maris partem obtinuit: subiectisq; imperio Cycladibus insulis, primus complures colonias, pulsis Caribus deduxit, & filios suos eis præfecit.* Ita Græca verba Latinè reddidit *L. B. Eneckelius*. Palam est, non de navigationis origine hic sermonem institui. Quin enim in prima illa hominum terrarumq; diuisione, in insulas quasdam nauibus traiciendum fuerit, & traiectum sit, nemo dubitat. Refertur *imperium maris Minoium*, de quo agitur, ab *Eusebio* ad annum Mundi MM D LXXV. qui fuit Periodi Iulianæ 3305. ante Christum natum 1409. putante *Dionysio Petauio*. An alius ante Minoem, imperium mari tenuerit, ex historia docerinequit. Nam τὰ πρὸ τῶν ἑσπερίων, ea quæ Troiano bello antiquiora sunt, inuoluuntur fabulis apud Ethnicos Scriptores, & interpretationem habent dubiam, ita vt certi nihil fere colligi possit: licet fabulæ illæ non omnino interim falsæ sint. Adiri potest *Moristotus in orbe maritimo lib. 1. cap. 1. & 2. & Thom. Riuus hist. nau. antiq. lib. 1. cap. 4.* *Seldenus* quidem in *mari clauso antiqui-*

tiquitatem imperii maritimi Minois, superari exemplo filiorum Saturni existimat. Iouem enim, cui cælum cecidit, *lib. i. cap. 8.* Plutonem qui inferos accepit, Neptunum, qui maris dominium obtinuit, tres Noachi filios fuisse; adeoque in fabula historiam latere, non solus interpretatur. Verum hæc atque talia non sunt eius generis, vt eodem modo ab omnibus accipiantur: & nos de historia fabulari hic non cœpi-
mus agere. Sed nec cuius promptum erit, eruere coniectura ex antiquitatis eruditæ vestigiis, quod & quale fuerit Neptuni imperium maris. Licuerit itaque id hætenus seposuisse, dum in Minoë ea spectamus, quæ Historici consentiunt.

II.

Minos imperio maris iure potitus est.

Laudant enim consensu scriptores hoc Minois imperium (exceptis malignis quibusdam iudiciis, de quorum causa postagetur,) & tanquam rem meritis eius debitam extollunt. Ergo, si propius ad rem veniendum est, *quis huius iuris titulus?* Ante omnia hic occurrit *occupatio*; deinde *Consensus populorum de occupatione iusta sine de iure per occupationem quesito, non impugnando*: denique *consensus eorum, quorum propius intererat, ex causa speciali, id est ex compressis piraticis sceleribus*. Hoc enim meritum vere Heroicum effecit, vt expulsorem piratarum & piraticæ consuetudinis, facile dominum optarent, quibus inter maritimos prædones nihil tutum fuerat. sicut diligenter annotat *Thucydides*. Extalibus caussis Regna vni olim delata, vt Heroicorum temporum morumque notam non semel *Aristoteles* laudat.

dat. Cæterum in *occupante* hic spectandum est, *privatus*
ne an Rex fuerit. *Privato* enim occupatio talis, quæ toto
 suo effectu ad rempublicam pertinet, non magis concedi-
 tur, quam arma capere, exercitum conscribere, & quæ simi-
 lia sunt. Neque etiam *propositum occupantis* negligi debet,
 quod ipso scilicet munere continetur; nam qui Rex est, Re-
 gii muneris proposito vti censetur: id est, ut in re nostra ma-
 neamus, Rex censetur occupasse mare reipublicæ suæ tuen-
 dæ amplificandæque causa. huc enim præcipuè referuntur,
 quæ vere Regia consilia & opera sunt. Minos igitur & iure
 Regio & consilio Regio occupasse videtur mare vicinum,
 ad tutelam & incrementum Regni Cretensis, id est, ut Re-
 gno Cretensi, & incolumitas sua constaret, & potentia am-
 plificaretur. Ex diverso, si *pirata* societate aliqua inter se
 constituta mare occupent, nihil habebit iuris eiusmodi oc-
 cupatio. non tantum, quia eiusmodi turba nihil potestatis
 publicæ iustæ habet; sed etiam quia maleficii causa, id est,
 nullo honesto proposito coit. Quare nec societatis legi-
 timæ nec ciuitatis titulum sibi applicare potest talis multi-
 tudo, quantumuis numerosa & valida.

Postquam in iure occupationis *occupantem* considera-
 uimus, nunc *Rem ipsam occupatam* vel *occupandam*, ut spe-
 ctemus, ratio iubet. frustra enim hæc tota disputatio susci-
 peretur, nisi constaret: an res de qua agitur, sit *occupabilis*, si-
 ue, *an mare talem habeat naturam atq; conditionem, ut in domi-
 nium ire siue occupari aut imperio possideri possit?* Atque hoc i-
 psium est, quod toti huic dissertationi occasionem dedit, &
 materiam daturum est. Verum, ut vitemus, quæcunque
 ad obscurandam atque inuoluendam rem pertinent, non
 pigebit nos partitè omnia, & dispositis in obuiò conspectu
 membris consignare. Adferemus ergo *primo* quandam
 huiusce controuersie historiam; *deinde* momenta senten-
 tiarum

tiarum dissidentium comparabimus; *deniq;* iudicium, quale de toto negotio, variis ex causis facere solent viri rerum agendarum usum habentes, consignabimus.

Quando ergo quaeritur, *an mare sit imperii capax?* videntur apud veteres scriptores non pauca eiusmodi loca occurrere, quae diuersas de hac quaestione apud antiquos sententias ostendant, sed vtrum verborum an sententiarum id dissidium sit, diligenter concertarunt, qui nuper eam quaestionem ex professo tractarunt. Hic non opus fuerit, ista omnia repetere. Dicemus potius de ipsis praecipuis Scriptoribus, qui hanc controuersiam sibi examinandam desumpserunt. Principes sunt *Grotius & Seldenus*. Cum enim non procul ab initio huius seculi inter Hispanos & Belgas de induciis tractantes multum etiam disceptaretur, *de libertate Indicanorum commerciorum*, quam sibi Belgae foederati vindicabant, Hispani autem inter arcana dominationis suae sepositam cupiebant: ea occasione (vitemur nunc verbis *Dominici Baudii ex lib. 2. de induciis belli Belgici petitis*) editus est libellus, cui titulus, *Mare Liberum, suppresso nomine, sed autore Hugone Grotio Fiscii aduocato.* — illic solidis rationum momentis, illustribus exemplis, *sanctione Regum, auctoritate ipsorum Iurisconsultorum*, qui inter Hispanos magno in honore sunt, euincitur, liberam ad Indos navigationem nec diuino nec humano iure subditis *Ordinum foederatorum* interdici posse. Postea *Grotius* ipse non parum limitauit, partim etiam suppleuit disputationem de Mari Libero coeptam, in egregio opere *de iur. bell. & pac. l. 2. cap. 2. §. 3. itemque c. 3. à §. 8. usq; ad 16.* vbi praesertim in *notis* noua accessio est supplementi & explicationis. Postea praeterlapsis pluribus annis, nimirum anno huius seculi 35. *Ioh. Seldenus IC. Anglus* contrariam sententiam, & simul totam de *Dominio maris* quaestionem tractauit edito opere, cuius

titulus est *Mare Clausum*. Vbi præsertim ostenditur, *mare domini capax esse, semperq; pro tali habitum fuisse*. Reprehensus est titulus *Maris Clausi*, tum ab aliis eruditis, tum ab ipso *Grotio*, ut primum fama propositum *Seldeni* distulerat. Itaque in præfatione is defendendum sibi suum titulum existimavit: eo successu, ut homines moderati de titulo non valde disceptandum iudicarent, quamquam is elegantia titulorum inter eruditos amata non congrueret. *Grotius* certe existimavit, *Thalassocraticum* rectius vocari potuisse librum *Seldeni*. itaque nec alio nomine citat in notis ad librum 2. *de iur. bell. & pac. cap. 2. §. 2.* Qua in re videtur & ipse *Seldenus*, amica & modesta æmulatione *Grotio* obiecisse titulum operi *de iure belli & pacis*, (quem *Grotius* ex oratione *Cicer. pro Balbo c. 6.* desumpserat) non satis commode attributum: quando suum opus eiusdem argumenti, simplicius, & magis ad communem sensum formulamq; inscripsit, *De iure natura & Gentium*, quippe in titulo *Ciceroniano* latet aliqua figura: hic quo *Seldenus* usus est, communi loquentium consuetudini ita consentit, ut statim intelligi possit. Quantum ad rem ipsam attinet, *Grotii* partes defendendas sibi existimavit *Theodorus Grasvvinckelius*, conscripto opere, cui titulus *Vindiciarum Maris liberi*, quinque libris constante: in quo *Seldenum* per singulas partes insequutus refutare aggressus est. Non tamen editum est hætenus (quamvis subinde ab auctore ipso citatum, & *Seldeno* per excerpta ab amicis communicatum) rationibus teipublice ut apparet, editionem non usquequaque suadentibus. *Iohan. Isacius Pontanus* quoque duobus *discussionum historicarum libris* *Seldeno* se opposuit, ut *Danis Norvvegisque* præsertim quædam iura vindicaret, quæ *Seldenus* ad *Britannos* traxisse, visus est: insertis tamen communibus momentis, ad varias quæstiones huius argumenti perti-

pertinentibus. *Ceteri recentiorum*, qui hanc quæstionem disceptarunt, non tam in partes iuerunt, aut ex professo tractarunt, quam vel repetiuerunt, vel excerpserunt aliquid, aut annotarunt ex tota argumenti amplitudine. Ita *Thomas Riuus histor. naual. mediæ lib. 3. cap. 37. & 38.* pleraque argumenta *Seldeni* pro dominio maris in compendium colligit. *Jacobus Gothofredus* in dissertatione *de imperio maris ad legem Axioms seu legem de precatio 9 ff. de L. Rhodia de iactu*, ex occasione ostendit: Romanos imperium maris apud suas ditiones sibi vindicasse, idque iure se & exemplo aliorum populorum facere putasse. *Loccenius* & *Stypmannus*, de iure maritimo, itidem repetendis & diffundendis huius disputationis locis occupantur. *Morisotus* in *orbe maritimo lib. 2. c. 10. de imperio & dominio maris in genere* quædam præmittit: *c. 20. Imperium Hispanorum maritimum; cap. 21, imperium Lusitanorum maritimum; c. 23, maritimum Genuensium imperium percurrit*, & sic postea de aliis gentibus agit. Nam de *Gallis* iam ante tractauerat: sunt autem illa pleraque eiusmodi, vt ad accuratissimam controuersie disputationem non multum proficiant.

Neque sane nobis in re tanta iudicium sumere animus est. id enim onus *Aetna* grauius *Ioh. Isaac. Pontanus* existimat. Quædam tamen licebit nobis annotare, quæ fortasse in comparandis sententiarum pugnantium momentis, & eligenda inter utrumq; opinione non improbabili, aliquem vsum habere possunt. Et I. quidem nunquam defuerunt, præsertim hodie, qui putarent: *superuacaneum esse de hoc argumento disputare.* Id enim armis potius & gladiis summorum potestatum, quam scripturis & commentariis priuatorum disceptari consueuisse. Quæ ratio si aduersus nos valere potest, plerisque omnibus oberit, qui de magnis reipublicæ negotiis & controuersis, haud raro Maie discerni solitis, aliquid conati sunt.

in præfatione
discussionum
historiarum.

Sunt. Humanius certe sentiendum est, de ipsis summis potestatribus: ad quarum existimationem pertinet, ne vi pro iure uti censeantur. II. Sunt alii, qui putant, *si omnino hæc verbis atq; literis disputanda sint, argumentorum tamen fontem non ex titulis iuris aut rationibus Philosophia, sed potius ex ratione status, ut loquuntur, peti debere, id est, Principes & populos imperium maris modo animosius affectare, & laxius interpretari, modo dissimulanter & lenius agere; imo interdum sententiam flectere, & defensum aliquando dominium maris impugnare, si ratio & utilitas reipublicæ ita postulet.* Quæ sicut non frustra dicuntur, ita obstare nequeunt, quo minus, de re ipsa ex capite honesti & boni æquique agatur: sua foris in tantum dilatis ac suo loco relictis. Hæc sunt quæ communiter circa hoc argumentum agitari solent.

Scorsum autem notari merentur, quæ ad partes disputationis propius referuntur. Hic ergo observare licebit I. *In scriptoribus huius controversiæ subinde deprehendi propositum aliquod peculiare, ac studium partium.* Qui affectus cum se disputationi miscent, fieri non potest, quin vel citra vel ultra rectum consistatur. Ita *Hugo Grotius in mari libero*, dum commerciorum in utramque Indiam libertatem Batavis suis vindicat, subinde animosius egit, & plus ultra progressus est. Fortasse enim non adeo pertinebat ad rem, mare uniuersè liberum facere, ut libere nauigaretur in Indias. Neque necesse fuit miscere ea, quæ colorem habent, cum iis, quæ argumenti vim possident. Ab altera parte *Seldenus*, dum Patriæ suæ dominium maris Britannici asserere studet, nimis obsequutus est auiditati humanæ in proferendis imperii dominiique finibus.

Quapropter II. non potest improbari *Pontani* sententia. qui tutissimum iudicavit, *mediâ incedere vi, & asserere*
nes

*nec liberum esse mare omne, nec etiam claudi quodcumq; aut
omne posse.* haecenus, inquam, non potest improbari, quate-
nus vtraque sententiarum è diametro pugnantium à mo-
do probabili abest.

Quis enim III. non putaret, *interesse generis humani,
ut maris dominium vniuersale siue vniuersi maris imperium
illicitum iudicaretur?* Res clara est, si cogitemus vel nostra
tempora: quibus non defuit causa disputandi: *an Monar-
chia vniuersalis (quoad terras gentesq;) vel possibilis sit, vel,
si esset, iusta & licita haberi debeat?* Sententiam dixere vni-
uersi pæne Europæ Principes, liberrima seueritate damnan-
tes, qui aliquid tale probatum ac defensum ibant.

IV. Considerantibus præterea paulo intentius, hanc
de dominio in certam maris partem controuersiam, con-
stabit: *non tam de dominio, quam de domini effectum plerosq;,*
qui in negantem eunt partem, sollicitos esse. est enim humanæ
vel cupiditatis vel elationis hic mos, vt quicquid ad impe-
rium vel dominium pertinet, amplissime interpretetur.
nec defunt fere Principibus repertoires titulorum, colorum,
argumentorum, quibus id propositum stabiliri videatur.
quo fit, *vt qui alicuius freti se dominos ferunt, nihil sibi non li-
cere putent in exercendo iure suo in omnes eos, qui quacumq; de
causa huius imperii limites ingrediuntur aut transeunt.*

Qua occasione V. non intempestiue forsitan aliquis
ita annotauerit: *parum consentire cum veræ prudentiæ regu-
lis, si talia in vulgus efferantur, iactentur, ostententur.* Fin-
gas enim, iuris eiusmodi indubiam esse auctoritatem: e-
rit tamen tota ea res ex illo genere, quod in arcano altissi-
mo reponendum, multa sunt, quæ suadent. quicquid e-
nim ad omnes inuidiosum est ac durum, variis dissimula-
tionibus abstrudendum est: ipsaque rei asperitas humani-
tate verborum, & mutui commercii mitiganda.

Hoc sicut probatissimi est consilii, ita non dubitauerit aliquis VI, necessitatis etiam legem huc aduocare, hunc in modum. *Euoluantur omnium gentium annales & ætatum: parebit, nunquam bene cessisse cuiquam talem iactantiam.* Nisi ergo velis mala superuacua in tuum caput attrahere, moderatius certe philosophandum erit.

Quid? quod *ipsius negotii natura VII, talis est, ut restrictius interpretandi necessitas neminem latere possit.* quod, ut clarius dicatur, sic poterit intelligi, si domini imperii que maritimalis esse conditio reputetur, quæ à cætero dominandi imperandique iure aliquid diuersum habet. In cæteris enim non adeo multum aliarum gentium interest, quomodo dominium imperiumque in tua exerceas. Quomodo vero maris imperio utaris, hoc ad omnes nationes pertinet. præsertim hodie, ubi totius orbis commercia, navigationis beneficio veluti perpetua serie cohærent. Quod autem omnes nationes suis utilitatibus obstare existimant, id absoluto & infinito vnus populi arbitrio subiaccere, iniuriam interpretantur.

VIII. Exemplis nobilioribus res fit clarior. *Mercandi & negotiandi, itemque ex vna regione in aliam vel ob belli vel ob pacis negotia transeundi libera facultas, talis est, ut sine ea vix mundus videatur posse consistere.* Itaque causam hanc, favore plenam, diuinis humanisque literis assertum ire, in procliu est. Qui ergo ius sui domini, rei tam fauorabili opponit, is quantam difficultatum molem in se recipiat, in propatulo est.

Statim enim audiat necesse est, IX. *finis particulares, (qui spectantur in dominio huius vel illius) fini vniuersali, sine quo humani generis digna hominibus societas consistere nequit, ut concedant, optimi maximi iuris esse.*

Et pro-

Et profecto hæc ratio. X. apud plerosque prudentiores tanti potest momenti esse, vt *particulares illos dominiæ maritimi fines moderate, restricte q; ac interdum pæne dissimulanter tractandos esse*, arbitrentur.

Quæ enim XI. *de incolumitate & potentia domestica* ex diuerso adferri queant, talia sunt, vt nisi modo & ratione, id est, moderatione nitantur, vim argumenti habere nequeant. Tum enim incolumitatis rationibus postulanti- bus, aliquid dicitur fieri, quando aliter salui esse non possumus. Sed quæ ad potentiam, viriumque & opum amplificationem pertinent, vt minus fauoris, ita minus iuris putantur habere. Non est interim hodie inusitatum, vt incolumitatis obtentu præscribantur, quæ ad opes & amplitudinem ciuitatum pertinent.

Interea XII. dememinisse non oportebit: *hanc controuersiam de dominio maritimo vix vnquam hodie ad liquidum deduci*; etiam vbi non deest rationum copia aut exemplorum. *semper enim fere aliquid hic dissimulari solet: semper item opera datur, ne plurimarum gentium contradictio irriteretur, aut in disputationem cum plurimis gentibus descendatur.* Ita fit, vt mutuis prudentiæ mysteriis, & occultis rationibus status, ad vsum potius reipublicæ quam ad titulos & schemata in vulgus proponi solita, pleraq; vis huius argumenti referatur.

Non possunt illustriori exemplo demonstrari, quæ diximus, quam *Hanseatici Fœderis*. Coierunt in id fœdus ciuitates partim in imperio Germanico, partim extra id, arctissima societate. condiderunt sibi leges, instituerunt magistratus, iudicia, archiuum. Causa & origo, commerciorum libertas. Cui adeo non intercesserunt vicini Principes, vt vltro priuilegiis & immunitatibus auctum irent. Si causam quæras huius fauoris, potiorem haud dubie in-

uenies nullam, aut priorem, quam vim naturalem illius iuris, quod mercibus permutandis aut transferendis debetur: unde etiam, si paucissimas nationes excipias, plerique omnes populi pro libertate illa exigenda & inuicem danda consenserunt: Non obstante dominio maritimo, quod illis aut istis in locis de cætero asseritur. Scio & alias fuisse causas, cur Principes Hanseaticæ isti societati (*Thuanus Teutonicam vocat*) ab initio fauerent, suasque inde opes & copias amplificare cuperent. Sed ipsa ratio consociationis illius talis est, vt citra dissimulationem imperii maritimi, alias passim affectati, concedi ac foueri non potuerit. factumque est, quod dicimus, vt ornaretur Hanseatica societas ab iis, qui non poterant non præuidere, ad tantum potentiam processuram, vt Principibus formidabilis existeret. Id cum postea usu venit, non potuit tum demum tota societas factionis & conspirationis nomine designari. Ad quod crimen solide responsum est ab ipsa Societate anno huius seculi nono. Extat seorsum, & apud *Ioh. Angelium à Werdenhagen tractat. 6. de ciuitatum Hanseaticarum antiquo & nobilissimo fædere*, addi potest *Limneus I. P. 7, c. 1, 79, & seq.* Illud interim nemo negauerit, Principes maritimos retinuisse opinionem de iure resistendi & declinandi, si posset, quæ fiducia virium insolentius & amplius quam par est tentarentur. Id ius tamen sæpe dissimulandum & in occasiones opportunas differendum fuit. Quod si nunc de instaurandis opibus Teutonicæ Hansæ (cuius vix umbra reliqua est) ageretur, non est dubium, quin ex præteritorum usu, præsentia & futura paulo aliter ordinarentur, quantum ad Principum iura attinet.

Hac occasione illud quoque obseruatu dignum est, quod *consuetudinum maritarum & nauticarum*, quæ subinde in ius eualuerunt, non aliud potest principium dari, quam

lib. 51.

1609.

quam consensus quidam hominum prudentum, qui nauigationib⁹ & itineribus maritimis inde ab antiquo vtebatur. atq; ita *Consulatus Maris* (c. 44.) bonas consuetudines maritimas, *ex regulis sapientia, iam inde ab antiquo per prudentes viros commerciis maris vtentes tradita*, repetit. vnde hoc saltem liceat colligere: semper aliqua eiusmodi placita communi gentium consensu valuisse, quorum vsus non tam à particulari dominio maris aut legibus per dominos maris particulares latis, quam ab illo quasi communi iure deriuaretur. imo (quod obseruatu forte non indignum est) pleręque leges maritimæ à particularibus maris dominis latis, veluti normam communium illarum consuetudinum, siue rationem illam vniuersalem sequebantur, aut ad eam dirigebantur.

Hæc licet ex vsu temporum & negotiorum, tum pro diuersitate ingeniorum, diuersis plane modis vel explicentur vel allegentur, ignorari tamen & negligi nunquam debent, quocunque etiam scopo quæstio hæc tractetur.

III.

Minos imperium maris, iustis, fortibus, & felicibus armis conseruauit & muniuit.

Non ignauia contineri magna imperia; virorum armorumq; faciendum certamen, vere dictum putabimus à Tiridate apud Tacitum; si omittatur, quam ille addit, interpretatio: id in summa fortuna equius quod validius; & suæ retinere priuata domus, de alienis certare regiam laudem esse. Hoc proposito detracto verissimum est, imperium maris iisdem artibus optime retineri, quibus ab initio partum est. Vix

XV. Anal. cap. 1.

B 3.

autem

lib. 4.

lib. 5.

autem aliter, quam armis parari potest & solet. Sicut ergo Minos, apud *Diodorum Siculum*, primus imperium maris idonea classe constructa obtinuisse dicitur: ita, apud *Eundem Scriptorem*, per copias terrestres & nauales, siue, per Exercitus & classes conseruasse memoratur.

Scilicet maris domino incumbibat, curam agere nauium exstruendarum; quarum & firmitas, & numerus, & agilitas proposito responderet. Pertinet huc Dædali artificium, qui nauibus quasi alas accommodauit, inuento uelorum usu. *vid. Morisoti orbem maritimum lib. 1. cap. 1.* ad hoc exemplum qui imperium maris firmum cupit, studiis nauticis debet animum accommodare; idoneos nautas & remiges legere, eosque crebro exercere; machinas ad rem nauticam vel excogitare vel emendare; illisque, qui hoc faciunt, præmia constituere; ad usum ista magis quam ad pompam referre. Ecquid enim immanium nauium moles, aut lusoriarum spectacula? perit reipublicæ pecunia, quæ in veros usus classicios opportune infumi poterat.

Faciunt huc studia mathematica; unde inexhausta prodit ad rem nauticam vel instaurandam vel amplificandam sollertia. Incredibile tamen cupitor aut molitor, non debet esse dominus maris. Dicamus exemplum nostri æui. Reperti sunt hodie illustres mathematici, qui varia ad rem nauticam commenta longeque utilissima proferrent. Sed quod nonnulli etiam polliciti sunt, *nauem sub undis natantem, & integras nauigationes submarinas*, id iam non Dædalei operis, sed fortasse Icarii conatus specimen videtur. Descripsit rem quidem valde plausibiliter *Mersenius in Cogitatis Physico-mathematicis*: sed consultius forte fuerit, alia operis illius, nobilissimi sane, argumenta amplecti, quam huic cogitationi animum accommodare.

Studium rei nauticæ siue militiæ naualis in Minoë comita-

mita-

mitatur & ornat *iustitia bellandi*: à qua præsertim commen-
datur. Vnde belli, quod Minos cum Atheniensibus gessit,
iustitiam, non tantum agnoscit *Plato in Minoë*, sed etiam in-
de demonstrat *Plutarchus in vita Thesei*, quod Athenienses
oraculo iussi sint Minoi, iuste ipsos impugnanti, satisfacere.
Et *Ovidius* itidem iustitiam eius celebrat, proditricem
præsertim patriæ auersantis *lib. 8. Met. fab. 1.*

Iustitia hæc in bello non tantum suscipiendo, sed & ge-
rendo finiendoque æstimatur. Qui enim iniuste aliis bella
inferunt, licet ad tempus videantur lucro exoptato potiri,
tandem fatali infortunio mactantur; intereuntque, qui a-
liorum interitum per fas & nefas moliti sunt. In ipso au-
tem bello, qui omnia sibi licere autumant, crudeles habentur
& immanes, & plus inuidiæ quam potentiæ sibi com-
parant. Qua de re grauitèr disputat *Cic. lib. 1. officiorum*.
Debet nimirum dominus maris cum Minoë, discipulus Io-
uis esse, siue disciplina perfectæ sapientiæ uti (id enim vult
fabula) ut diuini humanique iuris reverentiam custodiat;
neque à norma accuratæ iustitiæ vsquam discedat.

Inter iura belli præsertim est ius victoriæ, quod, sicut
temperamento opus habet, ita in vniuersum repudiari non
potest. Durum quidem videtur in bello finiendo leges à
victore accipere: sed pax plerumque non aliter firmari po-
test. More igitur Philosophi loquutus est *Poëta* de Minoë,
post victos hostes domum reuersuro:

— *ut leges captis iustissimus autor*
hostibus imposuit, classis retinacula soluit
iussit.

Ovid. Met.
l. 8. fab. 1.

Quasi diceret, victoriæ partæ fructum in dispositione pacis
contineri. si nimirum victor victis leges dicat, seu victos
legum vinculo sub imperio suo contineat.

In iis.

In iis, quæ victis imponuntur, *Tributa* sunt; omni iure concessa victori, si modus adsit. Apud *Tacitum* Cerialis ad Treueros & Lingonas in ditionem Romanorum pridem redactos: *iure victoriae*, inquit, *id solum vobis addimus, quo pacem tueremur*. Atque ne vllum de iure tributis à victis exigendi, dubium superesset, grauiissima philosophia seriem totius negotii in hunc modum ostendit: *nam neq; quies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis; neq; stipendia sine tributis haberi queunt*.

Sæpe quidem querelas moueri videas à victis, imperium victoris rigida ceruice subeuntibus, & tributorum onera detrectantibus: sed id more potius humani ingenii ad omne dominium refractarii, quam iure, plerumque fit. Satis exempli in Minoë est, qui, cum Atheniensibus victis, iure victoriae tributum annuum, pro consuetudine æui, neque nouum neque nimium imposuisset; immerito male audiit: dum Attica dicacitas non tantum varia mouendæ inuidiæ commenta in vulgus disperfit, sed etiam ad posteros monstrosas ea de re confinxit fabulas. Iuuenes enim & puellas, qui Minoi annuo tributo tradebantur, monstro obici & in Labyrintho perdi ementiebantur, cum Labyrinthus nihil fuerit aliud quam custodia, vbi asseruabantur iuuenes illi & puellæ; neque Minotaurus quicquam monstri habeat. Fuit enim Taurus apud Minoem inter præclaros Duces, qui præmii nomine in certamine Gymnico accepit Atticorum liberos. Sicut apud *Plutarchum in vita Thesei*, & apud *Platonem in Minoë*, egregie ista partim explicantur, partim excusantur. Addenda sunt etiam *Palaphati incredibilia*, titulis, qui huc pertinent.

Non diffitendum est equidem, Minoia bella, si de accuratiore descriptione sermo sit, per summam potius, quàm per singulorum notitiam momentorum ad nos peruenisse.

uenisse. Sed *Platonis* testimonium omni exceptione maius est: qui & consuetudinem Atticorum in criminando ostendit; & in locum communem ea causa digreditur, quæ soleat illos fama manere, qui cum ciuitate doctorum hominum ferace contendunt. Quid? quod ipsi Attici Poëtæ Poëtis popularibus, aliisque scriptoribus contradicunt? Dum enim tradunt, iniustum & immanem fuisse Minoëm, magno interim applausu accipiunt, & propagant fabulam de Minoë, ante susceptum imperium Iouis disciplinâ educato; post excessum, Iouis sceptrum & splendidissimum iudicis apud inferos munus adepto. Ex eodem ore laudes & ignominiam videmus proficisci. Exprobrat hoc Græculis *Iarchas* Indorum sapientum Princeps, apud *Philostratum de vita Appollonis Tyanei lib. 3. cap. 7.* & ad corrumpebros bonos mores pertinere istam philosophiam, increpat. *Poëtarum.* inquit, *apud vos principes, bonos vos esse, etiamsi vel maxime cuperetis, non sinunt. Minoi enim mortalium seuisimo, qui nauibus suis plurimos, partim in insulis, partim maris accolis seruitute oppressit, sceptrum iustitiae tradunt, eumq; apud inferos animarum iudicem collocant.* Non est dubitandum, quin respiciat, ad criminationes quorundam Atheniensium, qui subactas insulas, aliaque loca in ditionem redacta, vt iniuriam & sæuitiam interpretantur. Quod si velis concedere, ipsius *Iarchæ* hoc iudicium esse, atque in auctoritate tanti Philosophi plurimum reponi debere asseras; nondum videmus cur male dicentibus potius auscultandum sit, quam bene interpretantibus. Non latet nos consuetudo veterum quorundam, nimis abruptè omnia bello quæsitâ damnantium, & suspicaci supercilio, non tam causas belli reputantium, quam præmiis victoriæ inuidentium. Estque proprium magnæ fortunæ fatum, vt pro bene factis male audiant præcipui Regum omnis æ-

C

ui. In-

ui. Infirmiori partí, non tam iudicio, quám impetu faue-
tur, licet satis vt plurimum conſter, ipſos facturos fuiſſe, quæ
paſſi ſunt, niſi à viribus & occasione fuiſſent defecti. pror-
fus quaſi fortuna fauendo nocentes faceret; aduerſando
innocentes teſtaretur. Longe rectius fecerit, qui *Diodorum*
audiat, Minoëm ab alio obiecto crimine ita purgantem,
quod conſenſu omnium ei tribuatur *δικαία μεγαλειότης καὶ*
βίος ἐπιεικής μενος, iuſtitia & laudata vita ſtudium. Quinimo
nō defunt veſtigia nos eo ducentia, vt credamus, nimia bo-
nitate Minoëm peccauiffe, eâque re exitium ſibi conſciuiſ-
ſe. iuſtæ cum cauſſæ aduerſus Siculos, Dædali receptatores,
armauerant. quò nomine magnam & fortitudinis & iuſti-
tiæ gloriam reportaſſe, *Diodorus* ait. Sed cum Cocalus Sici-
liæ Rex armis deſperaret, ad fraudes conuerſus, hoſpitalita-
tis obtentu virum optimum in perniciem præcipitauit. Si-
cut amplius memorant *Diodorus Siculus lib. 4. Conon apud*
Photium, narratione 25, Herodotus lib. 7. cap. 70.

IV.

*Minois imperium maritimum
tam bonis rationibus ſuaderi,
quam Athenienſium potentatus
maris, ab Iſocrate poſtea diſſua-
deri, potuit.*

Argumenta ab *honeſtate & equitate* petita iam vidi-
mus, quantum ad Minoëm. *Facultatem*, vel ſitus Cretæ
oſtendebat. nam loci ea erat *opportunitas* (ſunt hæc verba

hiſt. nat.

*antiq. l. 1.
cap. 8.*

*Thoma Riuii) vt ad maris imperium pene natus fuiſſe videre-
tur, nam & toti mari undiq; imminebat, & aberat inde breuis*

ſpatio,

Spacio, hinc Græcia, illinc Asia litus: in quibus degebant populi numero infiniti, viribus infirmi, suis legibus, suisque urbibus vivere contenti, sed qui in commune nihil aduersum communem hostem consulere didicerant: ex quo facilem Minoi ad imperium maritimum obtinendum viam patuisse docet Philosophorum principes Aristoteles. Desumpsit hæc omnia Riuinus ex Aristotelis 2. Polit. 8. (aliis 10 caput est) sed non satis retinuit Philosophi mentem. De imbellia enim Græcorum populorum, nihil dicit; neque Minoem hinc imperii constituendi occasionem, sed potius ex opportuno situ desumpsisse ostendit. multo minus, suis legibus suisque urbibus vivere contentos, illos populos maritimos laudat. nam hoc esset, eadem opera Minoem accusare, tamquam quietos & iustos populos per iniuriam subegisset. Aristoteles autem, tantum de facultate agens, aliquos maritimorum populorum à Minoë subactos (causæ potuerant esse iustæ vt supra ex Thucydide attulimus) in aliquas autem insulas, citra bellum scilicet, colonias deductas esse docet. Aristoteli addendus est Strabo lib. 10. Alteram partem facultatis, melius deducit Riuinus ex maiorum Minois profectu, qui iam disciplinam nauticam impense coluerant. Fuitque hæc quasi fatalis epocha imperii maritimi Cretensis, qua Minos, disposita diuinitus & præparata tantæ rei præsidia consummando operi adhibuit. Itaque qui suadere voluisset tum imperii maritimi constitutionem, egregie ita potuisset ratiocinari: non frustra diuinitus Cretensibus contigisse viros Heroico ingenio consilioque præditos, quorum vt cætera præclara facinora; ita studia nautica imitari, perficere, superare, æquum esset. Cum præsertim inter primas Regum curas esse debeat, decessorum suorum, aut maiorum, nationis denique suæ profectum implere atque consummare. De utilitate, in consilium adhibenda superua-

caneum est dicere. & iam antea demonstratum est, non ad Cretensis modo Regni amplitudinem, sed, ad vicinorum quoque utilitates maritimum Minois imperium pertinuisse.

At *Isocrates in oratione sociali siue de pace*, Athenienses grauitur dehortatur ab imperio maris amplius affectando: argumentis ita dispositis, vt primo ostendat, sine iniuria parari id non posse. quod enim, inquit, in Lacedæmoniis carpsimus, hoc in nobis æquum putari non debet. Hæ duæ ciuitates de Principatu maris diu concertarunt: eoque tempore, quo Lacedæmonii præualuerunt, Athenienses missis ad alias Græcas vrbes & Regem Persarum legatis questi sunt: *Principatum maris pugnare cum libertate Græciæ, quæ scilicet esset optimi iuris; neq; fas esse, vt, qui plus possunt, infirmiores imperio premant; Deniq; nec utile publice futurum, si una ciuitas Græcis dominetur.* His querelis adiecta sunt arma, quibus dominium maris à Lacedæmoniis vindicatum impugnetur. Vnde validè inferre potuit *Orator: nullo iure affectari, quod vt iniquum verbis armisq; impugnatum sit.* Cum præsertim Athenienses in illa aduersus Lacedæmonios lite, iuris naturalis, libertati Græciæ fauentis, & omne dominium eiusmodi aspernantis, speciosissimum titulum magnifice ostentarent.

Hinc progreditur ad alteram sui consilii partem & ostendit: *Athenienses imperium maris ne posse quidem constituere.* primo enim, opes; deinde mores deesse, quibus Principatus maris obtineri queat. De opibus facile potuit fieri iudicium in hanc sententiam: *Si opes nostræ & pecuniæ, cum adhuc maiores essent, non suffecere ad tuendum maris principatum; quomodo nunc sufficient ad parandum, quando ærarium nostrum exhaustum depletumq; est.* Accedit, quod ad magnas res consequendas patrandasq; magnis opus est virtutibus &

bus & moris emendati disciplinâ; qualis apud Atticos forte viguerat, cum magnam sibi olim potentiam compararent.

In tertia consilii *parte*, imperium maris, *maxime noxium Atheniensibus fuisse*, ostendit. Hinc enim ad *luxuriam* descitum omnemque virtutem civium eneruatam fractamque esse: ortâ domi & foris tuendarum opum negligentia, actusque strenui ac efficacis inertia: nec interim ab *avaritia* cessatum: dum aliena immensum appetuntur; longinquarum rerum curâ, pericula domestica arcessuntur; crebrisque expeditionibus, ipse flos reipublicæ & quicquid roboris erat, exhauritur. Hinc non potuit non gravissimum in Athenienses *odium* inflammari apud ciues & exteros: neglectâ enim iustitiæ & fœderum religione, multa in omne genus hominum, superbè impotenter, sæue, ac proterve gesta. Quæ omnia egregie denarrat, & Lacedæmoniorum exemplo, quibus & ipsi potentatus maris noxius fuerit, illustrat *Orator*.

Verum enim vero, quæ postrema dicuntur, debilia ferè sunt. ab usum enim imperii maritimi, non usum attingunt: possisque eodem modo omnem adipiscendæ felicitatis curam dissuadere, quia secundis corrumpi solent homines. Ergo tam ineptus Isocrates, non prudentiæ modo, sed ætatis proeucte homo cum illa scripsit? Minime vero. Dictum est de vi argumenti, cum in se spectatur. de quo longe aliter existimandum est, si consideremus, ad quos, quo tempore, quibus propositis, enuntiatum sit. Erant revera Athenienses, appetendis, addam, si ita videbitur, & consequendis magnis opibus prompti. sed in usum & decus vertere parta, aut nulla illis, aut brevis solertia fuit. præsertim ex quo prauitas morum semel ita infecit civitatē, ut nec sustinere pristina vitia posset, nec emendare vellet.

Quid melius suaderi potuit, quam ut desinerent, qui deficere properabant? Non est plausibile hoc genus consilii, magis placet ex pertinaci temeritate petitum: Tyrannidem nemini nisi pedibus tracto derelinquendam. Ita nihil medium in medio est, nec inter præcipitia quicquam tuti.

Quæ de iure & iniuria dicta sunt, eo plus habere auctoritatis debent, quo accuratius reipublicæ suæ mysteria, & consiliorum arcana, introspexit Isocrates. Scilicet obtentu æqualis fœderis, & societatis pro Græciæ libertate tuenda initæ, dominari sociis studebant, in quo & fidem violabant, & communem Græcarum ciuitatum hypothefin, de sua cuique libertate conservanda, conculcatum ibant: id est, tales aduersum se irritabant sociorum querelas, quales ipsi postea aduersus Philippum Macedonem, ut iustissimas, Soli & Lunæ commemorabant.

Facultati quoque ratiocinandæ non minimum hinc roboris accedit. Neglecta incuriosis, non sefellit cautissimum Oratorem, prudentia, mores ciuitatis & iustitiam causæ non minus imo haud paulo plus posse in amplificandis rebus, quam ferrum & aurum, & copias virorum. nunquam periculosius magna tentari, quam, ubi amissa virtute & bonis artibus, eadem, quæ prius, audendi dominantique libido permanet: denique ubi fatalis ante actorum pœna in ceruicibus est, non nisi per furorem, fatum de nouo prouocari; id est, operam dari, ut fortuna ciuitatis fastigio suo iam depulsa à mediis ad ima præcipitetur.

In quibus omnibus, grauissimus Orator consultandi de Republica auspiciam, à virtute & reuerentia Diuini Numinis, (cuius neglecti grauissima & exitialis ciuitatibus pœna est) repetendum sibi existimauit: inanemque & temporariam vtilitatis speciem, cui ambitiosa ingenia inhiant, à
solida

solida reipublicæ felicitate, & duraturis commodis sedulo
distinxit.

Quantum vero ista à Minois consiliis & Creteni ex-
emplo abeant, abunde demonstratum puto. Tempus
quoque plurimum discrepat; quo nimirum Minoia fata
in profectu, Attica in deliquio, per totam rerum causarum-
que seriem, versabantur.

V.

*Nec Jasonis & Argonautarum
gloria eiusdem generis est, cum in-
stituto Minois, quantum ad impe-
rium maris.*

Argonautarum expeditionem, eiusque Ducem Iaso-
nem, integro amplius sæculo iuniorem faciunt Minoë,
Chronologi. Petavius ponit ad annum *periodi Iulianæ 3451. in doct. Temp.*
Mundi 2721. ante Christum natum 1263. non dissimulans ta-
men, cum hoc calculo non convenire, quæ de Helenæ fra-
tribus traduntur. *Thomas Rivius* similibus dubitandi causis *hist. man. antiq. l. 3. cap. 7.*
inductus, *Iasonem & Minoëm eodem tempore floruisse, & è*
duobus Iasonem etate maiorem fuisse, contendit. Quod nunc
in medium relinquitur: ubi facta & consilia Heroum, non
tempora comparantur. Est autem omnis de Iasone histo-
ria ita impedita fabulis & obscurata, ut ad liquidum deduci
paucissima queant. Illud videtur omnino de Argonautica
expeditione existimandum: Missum Iasonem (seu sponte
sua animum huc adiecit) in longinquas oras, opes raræ no-
bilitatis, aut thesaurum fama celebratum noscendi acqui-
rendiq; causa. Auctores præcipui è Græcis *Appollonius Rho-
dius;* è Latinis, *Valerius Flaccus,* Poëtæ, *Argonauticorum o-
pere*

pere clari : quibus addendi sunt *Appollodorus, Hero dotus, Diodorus Siculus, Ovidius, Iustinus.* Quod si quis disputationem eam hic ingredi vellet, quo iure quae iniuria, ad aureum vellus reportandum Argonautæ profecti sint, animaduertet historiæ deliquia, & exinde ad directam planamque sententiã pronuntiandam impedimenta. Longe certe aliud est, cupidine & fama diuitiarum longinquas expeditiones aduersum eos, à quibus nihil iniuriæ acceperis, suscipere; aliud iusto bello victis populis dominari, imperiumque apud maritima firmare. neque quisquam unquam audiendos putauit Græcos, cum aduersus Barbaros bellandi ius à natura sibi datum inani prætextu iactarent. hoc enim si admittamus, omnium inter se gentium bella existerent: nec minus pro barbaris habebuntur, qui barbarorum vocabulo alios contemnunt. Huc respexisse arbitror eos, qui Iasonem vellus quidem aureum rapuisse, sed cum eo Medeam, id est, domui sui incendium & pestem retulisse ita interpretantur, tanquam hoc augurio significaretur, longinquis nauigationibus magnas quidem opes, sed simul ingentia generi mortalium mala comparari. Ad argonautas veteres non inepte contenderis Indicanas nauigationes, obtentu vario, sed reuera, cupidine diuitiarum, plerumque susceptas. Et res ipsa quidem, si per commercia cum longinquis & opulentis gentibus, reipublicæ opes & subsidia parantur, non parum fauoris habet. Sed accedunt multa, quæ prudentium animis rem aliquando suspectam aut inuisam faciunt. Itaque cum superiore seculo Franciscus Dracus orbe terrarum tribus plus minus annis circumnauigato, magna cum gloria domum redisset, non defuisse *primarios aliquot in aula Anglica viros, Camdenus refert, qui allatum ab eo aurum respuerent, quasi*

1580.
in Elizæ.
part. 2.

quasi scelere piratico quesitum. constat licet, potiore præ-
 dam tum de Hispanis actam; quorum navigationes Indi-
 canæ non leuibus de causis iam pridem in odium apud om-
 nes venerant. Admonuit me Hispanorum mentio, ut de
 portentosa illorum circa hoc negotium philosophia corda-
 tum Semiramidis Anglicæ, Reginae Elisabethæ iudicium, ex
 eodem *Camdeno* annotem. Cum enim Hispani per Lega-
 tos res repeterent, & Oceanum Indicum ab Anglis nauigari
 conquererentur; Regina respondit: *Hispanos iniquitate in*
Anglos, quos commercio contra ius gentium prohibuerunt, hæc si-
bi mala accersisse. Dracum præsto futurum ut in iure respondeat,
si quid contra ius egisse certis iudiciis & testimoniis conuinca-
tur. Opes illas eo consilio sepositas esse ut Hispano satisfiat: li-
cet Regina grandiore pecuniam, quam Dracus intulerit, con-
tra rebelles, quos Hispanus in Hibernia & Anglia excitarat, pro-
fuderit. Præterea, Reginam non intelligere cur sui & aliorum
Principum subditi ab Indiis prohibeantur, quas Hispanici iuris
esse, persuadere sibi non posset ex Pontificis Romani dona-
tione: in quo prerogatiuam in eiusmodi causis agnoscat
nullam, nedum auctoritatem, ut Principes obligaret,
qui nullam ei obedientiam debent: aut Hispanum Nouo
illo Orbe quasi in feudaret, & possessione inuestiret. Nec alio
quopiam iure, quam quod Hispani hinc illinc appulerint, casu-
las posuerint, flumen aut promontorium denominauerint; quæ
proprietatem acquirere non possint. ut hæc rei alienæ donatio,
quæ ex iure nihili est, & imaginaria hæc proprietas obstare non
debeat, quo minus ceteri Principes commercia in illis regioni-
bus exerceant, colonias, ubi Hispani non incolunt, iure gen-
tium nequaquam violato, deducant: cum præscriptio sine pos-
sessione haud valeat; nec non Oceanum illum vastum liberè na-
uigent, cum maris & aëris usus omnibus sit communis, nec ius

D

in Ocea-

*in Oceanum, populo aut privato cuiquam possit competere, cum
nec natura, nec usus publici ratio occupationem permittat. Quæ
ex Camdeno etiam Thuanus descripsit lib. 71. Pontificiæ do-
nationis auctoritatem, qua formula & solennitate, allega-
re soliti fuerint apud Americanos Hispani ex Herrera etiam
Iohannes de Laet in nou. orb. introduct. generali, consignat.
Sed nos relictis, quibus sæculo illuditur, prodigiis, lubenter
sane, pulcras complures & memorabiles, circa nauigatio-
num & coloniarum Indicanarum negotium, quæstio-
nes attingeremus, nisi modus instituti
& temporis calamus sisteret.
Deo gloria!*

*Illustri & Generosissimo Dn. Baroni
à KRONEGK &c.*

Quando solo Indigenas eiecit, abire Colonos
Quando iubet veteres cæca superstitio:
In medio fortasse salo præbebit asylum,
tutumq; angellum SVECA CORONA dabit.
Hinc maris Imperium prælustri è stirpe KRONECVS
Et calami & linguæ ex arte tuetur, amat.

fausta apprecatur

IOH. CONRAD. DANNHAYNER. D.

*Perillustri & generosissimo Dn. Baroni
solenniter disputanti.*

KRONECCI Patris Magni spes maxima, stirpis
Antiquæ & generis flos generose tui;
Eximia in nostro viuis cum laude Lyceo,
Quam Tibi virtutis gignit & artis amor.
Gaudeo, & hos ausus porro quoque Ioua secundet
Successuque bect prosperiore, precor.

Observanter applaudit

IOH. SCHMIDT SS. Theol. Doct.
Prof. Ord. & Conu. Eccl. Præses.

Perillustri & Generosissimo Dn. BARONI
dicatum ΤΕΤΡΑΣΙΧΟΝ.

Hoc ævo in terris iam non est fabula MINOS,
Ius, Leges, Virtus, Regna, virum redhibent.
In noua mutari veteres exempla figuras,
Qui putat, is tecum, Carole, credo, sapit.

obseruantia causa scr.

JOH. HENR. BOECLERUS.

Æquoreas MINOIS opes, viresque natantes,
Et vaga cæruleis castra tremenda deis,
Felix ingenii celsorum germen auorum
Dum pandis, Musis teque litasse doces:
Augustus tibi crescet honor, tibi lumina Phœbi
Surgent Parrhasii littore ab Oceani.

honoris obseruantiaq; causa scr.

ROBERTVS KOENIGSMAN-
NVS, Eloq. Prof.

Perillustri & Generosissimo Dn. BARONI, de Im-
perio Maris disputanti.

Cvi Thetis imperium lato super æquore cessit,
Iustitiaq; dedit nomina clara Themis,
Gnosius ille Tibi, Flos Baronum inclyte, Minos
Velificaturo per mare pandit iter;
Imperiumq; maris dum lustras, ipsa Minerva
Amplificat laudes nominis inde tui.

Humilis obseruantia causa f.

M. JOH. MATTHIAS SCHNEUBER,
Gymnasiarcha.

Hactenus & celebris doctiq; cathedra Lycæi
Dotibus excelsè natam decorauit & auxit
Mentem; sic rursus claro laudabilis ausu
Mens generosa orbi noto sub Præside surgens
Dotibus acceptis famam decorare cathedra
Gestit. Sic celsum studiorum Stemma secundo
Condecoret cursu, Vera & Virtute, PARENTIS

ILLV.

ILLVSTRIS Soto tua quò prudentia, Virtus,
Et sperata simul studiorum copia quondam
Consiliis possint aulas ornare Potentùm
In mare perdoctè quorum nunc iura tueris.

IOH. ANDREAS Frommann. I. V. Dds.

CAROLE, ne spera cumulari laudibus à me:
Ut faciant alii, non ego laudo meos.
Nam meus es: meus esse cupis: meus esse iuberis:
His olim auspiciis ut TVVS esse queas.
Ac licet illustri deductum sanguine stemma
Te Comitum generi Principibusque liget:
Me tamen & comitem non indignaris habere,
Et velut à blando Principe iussa facis.
Hoc studium MINOS, hoc transfra volantia velis
Et maris piratis insula questa premi;
Hoc, quæ sanguineis superatæ Cyclades armis
E consternato prominuere salo,
Omneque ius in aquas altè repetita fatentur,
Et fatagit verum, Te duce, Creta loqui.
O quæ digna Tuas æquabunt præmia curas
Si bene propositum continuabis iter!
Hinc Capita euicco latè dominantia mundo
Arte tua cupient ingenioque frui:
Quin per Te credent onere incumbente leuatas
Terrasque & populos & mare posse regi.
Inde sequestratos aduerso tempore census
Et sua vix Genti iura relicta tuæ
Commodaque & celso antiquæ stirpis honores
Quicquid & Illustriis perdidit ante PATER
Fata repensabunt, Alibi quoque crede micare,
Sint peregrina licet sidera, fausta tamen.
Non patriæ datur omne decus, quandoque nec huius
Irrita concussas gratia iuuat opes.
Sunt alii REGES quorum æquè purpura fulget,
Constat & à quorum partibus esse DEVM.
Hos sequere, & pro quâ fastidia tanta tulisti,
Perdita si terris, per mare quære FIDEM.

fecit BARONIS dissoluti præfectus

CHRISTIANUS KECK.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

